

finem, quia si procedit a virtute fidei vel spei debet procedere secundum concursum supernaturalem, atque adeo ex supernaturali auxilio, quod sine rectificatione stare non potest. Si autem propter vanam gloriam prodeat quis in confessionem fidei, vel actum spei, talis actus sicut non subordinatur auxilio supernaturali, ita neque virtuti theologicæ, vel ejus formali rationi, sed est a fide acquisita, quæ non innititur testimonio Dei ea firmitate qua a Deo est, sed firmitate voluntatis affectæ fini pravo, quæ non est firmitas vera, licet sibi videatur aliquis firmiter adherere, nec sperat ex auxilio divino vero, sed præsumpto.

IX. Est autem differentia inter virtutes morales, et theologicas, quod materia virtutis moralis, cum non sit ipsa regula, sed res regulata, est separabilis a directione prudentiæ, quæ a tam multis circumstantiis dependet, et induere potest ordinem ad pravum finem, non sublata bonitate ex parte objecti, sicut qui dat eleemosynam propter vanam gloriam. Et secundum probabilem sententiam aliquorum, prima secundæ, quæstione decima octava, potest actualiter retinere bonitatem moralem ex parte objecti cum malitia circumstantiæ, licet quoad denominationem, simpliciter dicatur actus malus, quia malum ex quocumque defectu. Secundum vero aliorum sententiam per appositionem mali finis, vel circumstantiæ destruitur ipsa bonitas moralis ex parte objecti formaliter loquendo, et solum manet in potentia, quia quantum est ex parte objecti præcise non est mala illa actio, licet ipsummet objectum ut vestitum tali circumstantia reddatur malum. At vero materia virtutis theologicæ, cum sit ipse Deus ut finis supernaturalis non potest separari a bonitate morali, quia non est aliquid

regulatum, sed ipsa regula suprema rationis, unde si attingitur non potest ordinari ad pravum finem, nec ad aliam malam circumstantiam, quia si sic ordinaretur, hoc ipso non attingeretur ut finis, neque actu theologico, qui est circa ipsum finem in se, sed versaretur circa Deum falso apprehensum, ut ordinabilem ad alium finem.

X. Circa particularem rationem hujus virtutis quatenus theologica est, duæ occurrunt difficultates. Prima, utrum virtus theologica ex parte boni, quod attingit ut rem, exigat necessario quod sit bonum divinum, et supernaturale; an sufficiat sub ratione divina attingere quodcumque bonum: secunda, quomodo inveniri possit medium, et extrema in virtutibus theologicis.

XI. Ad primam quæstionem respondetur affirmative juxta dicta articuli primi, contra patrem Vazquez quem sequitur Torres hic disput. LXI, dub. IV, circa finem, ubi dicit Thomistas requirere ad rationem virtutis theologicæ, quod objectum earum sit supernaturale formaliter: « Quam legem, inquit, non tam probant, quam assignant libere. » Sed libere hoc protulit pater Torres, id enim urgentissima ratione ponitur a Thomistis ex S. Thoma 1-2, quæstione LXII, articulo primo, et optime in secunda secundæ quæstione octuagesima prima, articulo quinto, et videri potest Lorca hic disputatione quinta in fine, ubi dicit errare qui dicit objectum quod spei theologicæ esse aliquid creatum. Fundamentum D. Thomæ et Thomistarum est, quia necessarium est ponere in homine aliqua principia, per quæ ordinetur in finem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem naturalem; sed ista principia sic ordinantia necessario debent respicere ipsum finem supernaturalem tamquam rem voli-

tam; nec aliæ virtutes possunt sic respicere Deum tamquam objectum, et bonum volitum; ergo aliquæ virtutes dantur, quæ ex sua ratione essentiali, qua differunt a cæteris, postulant habere pro objecto materiali, et re volita ipsum Deum: et tales virtutes vocamus theologicas. Quod si alias, quæ hoc non habent etiam theologicas appellare velimus, erit quæstio de vocabulo, de qua non est curandum, sed de re ipsa. Sufficit ergo constare, quod aliquæ virtutes sint ponendæ, quæ essentialiter exigant respicere Deum, ut objectum materiale, et non solum ut rationem formalem. Discursus est legitimus. Prima propositio negari non potest, quia ut ostendit S. Thomas citato loco ex prima secundæ, beatitudo supernaturalis excedit proportionem humanæ naturæ; ergo omnia principia naturalia in homine non sufficiunt ordinare ipsum in dictam beatitudinem; ergo ut ordinetur requirit alia principia. Minor vero probatur. Ita debet ordinare illa principia supernaturalia in finem supernaturalem, sicut principia supernaturalia ordinant hominem in finem naturalem, sed quando ordinatur homo in finem naturalem, ordinatur in illum, non solum ut in rationem formalem tendendi, sed tamquam in rem volitam, et finalizantem; ergo Deus ut res volita necessario debet attingi ab illis virtutibus sic ordinantibus in finem supernaturalem. Minor probatur, quia actus intendens aliquem finem debet illum respicere tamquam rem intentam, et assequendam, sicut electio tendit in medium, tamquam in rem electam in ordine ad finem: illa enim est res intenta ut finis, quæ per assecutionem postea possidetur; et illa est electa res ut medium, quæ per executionem adhibetur ad consequendum finem; sed res quæ

possidetur non est sola ratio formalis, sed objectum ipsum, et res secundum se; et similiter media quæ adhibentur, non sunt solum rationes formales, sed veræ res, et objecta materialia; ergo de intrinseca ratione virtutis ordinantis circa finem, est respicere tamquam rem volitam ipsum finem, et in virtutibus theologicis ipsum Deum. Quod vero hoc nulli alii virtuti competere possit inde constat, quia virtus ordinans, circa altiorem finem naturaliter impetrat his, quæ versantur circa media, et circa finem inferiorem: ergo illa virtus, quæ ordinat circa finem ultimum debet esse omnibus aliis virtutibus superior; ergo nulli alii virtuti extra ipsam competere potest, talem finem attingere ut rem volitam.

XII. Si dicas: quod virtutes, et habitus specificantur, et distinguuntur per rationem formalem, non materialem, respondetur quod ratio formalis distinguit cum ordine ad materiale objectum primum, neque enim ratio formalis specificat separate et in abstracto, sed ut cadens super debitam materiam, sicut nec forma hominis constituit hominem sine materia, ad quam dicitur ordinem, et ideo S. Thomas 1-2, quæst. LXVII, art. IV ad tertium simpliciter docet quod de ratione spei theologicæ est: « Quod ejus objectum sit Deus, non autem aliquid creatum. »

XIII. Et ex hoc habetur regula ad cognoscendum quomodo aliqua virtus non sit theologica etiamsi aliquo modo attingat Deum: oportet enim quod ut sit theologica concurrant illa duo, scilicet quod ratio formalis, et similiter objectum materiale immediatum sint aliquid divinum, et ex defectu alicujus ex istis conditionibus aliquæ virtutes, et dona Spiritus sancti, quæ Deum attingunt, deficiunt a ratione virtutis

theologicæ, ex defectu enim materialis objecti non est virtus theologica religio, quæ respicit pro objecto cultum Dei, non ipsum Deum, et pœnitentia, quæ respicit subjectionem ad Deum, et similiter donum fortitudinis, quod innititur auxilio Dei, ut dicit S. Thomas infra quæst. cxxxix, art. 1; tamen versatur circa pericula ardua, tamquam circa objectum materiale, non circa ipsum Deum. Et donum pietatis, quo exhibet cultum Deo, non tamquam Domino sicut religio, sed tamquam pater per gratiam, et proximis exhibet officia, vel secundum justitiam, vel secundum gratiam tamquam fratribus; et ideo correspondet toti justitiæ, et ejus partibus, de quo D. Thomas infra quæst. cxxi, artic. 1; et similiter donum timoris respicit pro objecto separationem, et abjectionem sui, quæ est paupertas spiritus erga divinam eminentiam, ut disputatione tertia dicitur. At vero dona Spiritus sancti quæ respiciunt Deum in recto tamquam materiale objectum, ut donum sapientiæ, et intellectus, et ipsa scientia theologiæ non sunt virtutes theologicæ, quia non versantur erga Deum ex ratione formali divina, quia non attingunt ipsum per immediatam revelationem sicut fides, sed theologia acquisita per revelationem mediatam, et virtualem, quatenus attingit veritates divinas, ut contentas in principiis revelatis, et ex illis deducibiles in vi consequentiæ, et discursus naturalis, non ut immediate illustratas divino testimonio. Sapientia autem quæ est donum attingit res divinas judicando de illis non in vi consequentiæ, et discursus naturalis, sed ex quadam connaturalitate, et experientia rerum divinarum, quæ aliquid creatum est, quatenus ex affectu, et unione amoris per charitatem causatur rectum judicium de Deo in

intellectu, ut docet D. Thomas infra quæst. xlv, art. 11; donum vero intellectus attingit eodem modo res divinas, non quidem judicando, et resolvendo sicut sapientia, sed simpliciter penetrando, sicut penetrantur prima principia.

XIV. Ad secundam quæstionem respondetur ex D. Thoma 1-2, quæst. lxxv, art. iv, et hic quæst. xvii, artic. v ad secundum, quod virtutes theologicæ per se loquendo non habent medium, per accidens autem possunt habere medium et extrema. Dicitur habere per se medium quando habet illud ratione proprii objecti, et primarii, quia hoc pro se competit virtuti; per accidens autem; quando ex aliqua ratione extranea, vel ex parte objecti secundarii habet illud ratione proprii objecti, et primarii, quia hoc pro se competit virtuti; per accidens autem quando ex aliqua ratione extranea, vel ex parte objecti secundarii habet illud. Vocamus autem medium ipsam regulationem, quia per regulam reducitur aliquis ab extremis, et quasi per liberationem ponderis in medio statuitur. Cum ergo omnis virtus moralis habeat pro immediato objecto aliquam materiam regulabilem per rationem, quia virtutes morales sunt habitus electivi, electio autem versatur circa media, media vero regulantur ex fine, inde est quod omnes virtutes morales per se, id est, ex parte sui objecti primarii consistunt in medio, id est, in regulato secundum rationem. Virtutes vero theologicæ, quia habent pro objecto primario ipsum Deum, ut est finis ultimus, et prima regula, per se loquendo carent medio, id est, regulatione passiva ex parte hujus objecti.

XV. Difficultas est circa medium per accidens, et Scotus dixit hoc medium sumi in virtutibus theologicis, ex parte actus, quatenus vel

nimis possumus tendere, vel defectuose in earum objectum. Cujus argumentum statim referemus. Cajetanus vero hic quæst. xvii, art. v, advertit D. Thomam duplici via agnovisse medium per accidens in virtutibus theologicis, scilicet ex parte subjecti, et ex parte objecti secundarii; ex parte subjecti posuit medium per accidens 1-2, quæst. lxxv, art. iv: ex parte vero objecti secundarii posuit hic quæst. xvii, art. v ad secundum; explicat autem Cajetanus medium ex parte subjecti, id est, ex parte modi quo a nobis attingitur Deus per istas virtutes, sicut objectum fidei, quod in se est incomplexum nos attingimus modo complexo, ut dicit S. Thomas supra quæstione prima, art. 11. Unde contingit formari propositiones, et judicia, seu opiniones contrarias de Deo, quæ tamen propositiones, ut complexæ non sunt objectum fidei, cum ejus objectum sit aliquid incomplexum, sed tamen sub eo modo complexo ex parte nostra attingitur. Similiter spes habet medium, et extrema ex parte nostra quatenus ad sperandum aliquid requiritur quod faciamus comparisonem inter nos, et bonum speratum, ut videamus an sit proportionatum secundum nostram conditionem, ut colligitur ex D. Thoma locis citatis. Et in ista comparatione aliquando existimatur aliquid improportionatum etiam secundum divinum auxilium, et sic desperamus; vel existimatur nimis proportionatum, et sic præsumimus, unde in regulando isto modo, qui ex parte nostra se tenet ad attingendum Deum, vel speratum, vel creditum, requiritur aliqua regulatio, et in illo potest dari medium, et extrema. Quod currit non solum respectu nostri, sed etiam respectu Angeli viatoris, quia licet non formet propositiones complexas formaliter, format tamen

judicia virtualiter complexa, unde in his supernaturalibus, quæ plene non cognoscit, quamdiu non dat ultimum judicium, potest diversis, et contrariis judiciis quasi extremis recedere a fide. Ex parte autem objecti secundarii facilius invenitur medium, et extrema, quia bona creata non absolute speramus, sed ut subordinata beatitudini, ex qua sumitur proportio ad sperandum res creatas, ut oportet, scilicet ut nec desiderentur nimis, nec abjiciantur totaliter, sed sperentur, ut conducant ad finem beatitudinis, ideoque regulatione indigent in sperando, sicut et in petendo ut videre est in D. Thoma infra quæst. lxxxiii, artic. vi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Ex his facile solvuntur duæ objectiones in contrarium. Prima, quia etiam circa objectum primum possumus invenire medium, et extrema, sicut de ipso Deo in se possumus habere opiniones extreme falsas, ut qui diceret: Deum esse trinum in essentia, et in Personis, et qui diceret: Non esse trinum, neque in essentia, neque in Personis, et qui de ipso Deo obtinendo in se, non autem de aliquo bono creato, desperaret, vel præsumeret: secunda est, quia actus credendi est aliquid creatum; ergo indiget regulatione; potest enim aliquis nimis cito, et leviter credere, aut etiam nimis difficulter; ergo ipse actus fidei in medio consistit, quod est argumentum Scoti.

XVII. Ad primum dicimus, quod circa ipsum objectum primum, secundum se non contingit dari extrema, etiam in opinando, sed secundum connotationem, et modum quem habet ex parte nostra, quatenus per modum propositionis, et ju-

dicii, vel formaliter, vel virtualiter complexi, incomplexum objectum intelligimus: verum autem et falsum secundum contrarietatem inter se solum inveniuntur in intellectu complexo. Et similiter possumus desperare, et præsumere de ipsa consecutione Dei in se ratione illius conditionis, et modi ex parte nostra requisiti ad sperandum, qui regulatione indiget, quatenus comparamus nos erga bonum speratum, ut dictum est, et ratione hujus connotationis, et modi intelligo etiam quod dicit S. Thomas in ista quæstione VII, art. V ad secundum, quod convenit spei habere medium per accidens ratione ejus, quod ordinatur ad principale objectum: non enim solum objectum secundarium, sed etiam ista connotatio, et conditio ordinatur ad principale objectum.

XVIII. Ad secundum dicimus, quod impossibile est aliquem actum indigere regulatione nisi per ordinem ad suum objectum, actus enim sine objecto, entitas, et qualitas est regulatione non egens, per ordinem autem ad objectum primum secundum se, actus non est regulabilis, quia non potest esse nimius in ordine ad Deum secundum se: si autem deficit ab eo secundum se, non ex defectu regulationis, quæ sit in ipso objecto deficit, sicut virtutes morales, sed per abjectionem, et carentiam ipsius regulæ, et licet qui cito credit levis sit corde, non tamen qui cito credit Deo. Similiter qui difficulter credit, si difficulter, id est, dubitando credit, non credit, quia veritas prima est indubitabilis; si autem difficulter, id est, tarde, quamdiu tardat, post sufficientem propositionem objecti, nondum credit, et sic non per defectum regulationis ex parte objecti, sed per totalem abjectionem ipsius fidei dicitur non credere.

ARTICULUS IV.

Utrum possit dari spes acquisita circa objectum supernaturale?

I. Sensus difficultatis hujus procedit non de spe acquisita, quæ versatur circa bonum naturalis ordinis, sicut spes communiter dicta, nec de illa, quæ versatur circa objectum supernaturale vitioso modo sicut est præsumptio, talis enim dari non est dubium: sed inquirimus utrum circa bonum supernaturale possit versari spes ex motivo naturali, quæ tamen sit honesta, et bona. Affirmat pater Torres hic disp. LXI, dub. IV, ubi non solum asserit dari talem actum, qui sit bonus, et honestus, sed etiam postulare habitum, qui sit virtus acquisita: imo addit, quod talis virtus acquisita est theologica. Quia vero ista positio videtur admittere quatuor virtutes theologicas, contradicente Apostolo I ad Corinth. XIII: *Nunc autem manent fides, spes, et charitas, tria hæc, et refragante communi theologorum intelligentia, qui per illa tria intelligunt, tres virtutes theologicas infusas, et supernaturales, sicut infusas esse declarat Concilium Tridentinum, sessione VI, capite VII, ideo iste auctor quasi timens suæ sententiæ, addit in calce dubii, quod licet nomen virtutis theologice communiter cadat in tres virtutes supernaturales, tamen potest dici spes acquisita virtus theologica, sed tamen loquendum esse cum multis præsertim si coram imperitis sit sermo.*

II. Nihilominus omnino rejicienda est ista sententia. Et quantum ad hoc ultimum videtur plusquam falsa et censura digna, cum contradicat concordi theologorum scholæ, imo et communi fidelium iudicio

solum agnoscentium tres virtutes theologicas. Et fit argumentum: Quia quando Apostolus dicit manere fidem, spem, et charitatem tria hæc, aliquid speciale attribuit illis tribus, quod non aliis virtutibus alioquin non verificaretur manere tria hæc, cum manerent plura alia, quæ idem haberent quod tria hæc, et sic superflue illa tria, tamquam specialia nominaret. Illud autem speciale, quod habent ista tria inter cæteras virtutes, vocatur ratio virtutis theologice communiter a doctoribus, et Ecclesia; ergo si hoc speciale non convenit aliis, quam istis tribus, qui dicit aliam virtutem præsertim acquisitam, dicendam esse theologicam, vel falso nomine illam appellat, si non habet illud speciale ratione cujus illa tria ab Apostolo designata theologica dicuntur; vel si habet in rei veritate eandem rationem specialem, quam illa tria, jam non solum sunt tria theologica, quæ manent, sed plura, contra communem sensum, et intelligentiam Apostoli, qui intelligitur nominasse tria privative, id est, non plura; quare hæc pars istius sententiæ non bene sonat.

III. Quod vero attinet ad primam partem hujus sententiæ dicimus, non esse ponendam spem acquisitam, quæ sit actus bonus, et honestus circa objectum supernaturale. De quo videatur Lorea hic disp. V, num. V. Nec dissentit magister Bagniez hic quæstione XVII, art. V, in fine commentarii, qui nullam spem agnoscit, quæ sit virtus, nisi theologicam, et magister Medina 1-2, quæst. LXII, art. II, licet videatur supponere dari spem, et charitatem acquisitam, non tamen determinate explicat se loqui de spe habente pro objecto supernaturalem beatitudinem. Ratio et fundamentum est, quia talis spes acquisita deberet procedere ex motivo naturali, circa rem

supernaturalem (alioquin si ex motivo supernaturali procederet, nihil ei deesset ad supernaturalem spem, et non acquisitam) repugnat autem quod motivum naturale, possit elicere verum actum spei, circa objectum supernaturale, nam verus actus spei, debet importare efficacem voluntatem circa objectum supernaturale, quia spes importat motum intentionis, respicientem bonum, seu finem, ut consequendum (ut præcedenti articulo ostendimus ex D. Thoma 1-2, q. LXII, art. III) atque adeo spes differt a simplici voluntate, quæ efficaciam non habet, et hujus radicale principium est, quia spes non salvatur in quacunque voluntate, sed in voluntate aggremente consecutionem boni ardui, unde necessario debet esse voluntas, illativa electionis, respicientis media, per quæ aggredimur consecutionem finis. Debet ergo importare voluntatem efficacem intentionis, quia solum ex illa oritur electio: nullum autem motivum naturale est sufficiens ad hoc ut voluntas efficaciter tendat in bonum supernaturale, quia hoc motivum est improporionatum respectu assecutionis talis boni. Quod si per motivum naturale proponitur auxilium divinum in quo speretur, sed tamen cognitum naturali motivo, scilicet per fidem acquisitam, hoc ideo tale auxilium non cognoscitur cum omni certitudine, sed cum aliquali dubitatione, cum cognoscatur fide acquisita, atque adeo testimonio creato, quod est fallibile, et dubitabile: ergo ex vi talis cognitionis non formatur dictamen de divino auxilio, nisi cum dubitatione, et formidine; ergo ex vi illius non certificatur, nec firmatur voluntas, circa auxilium proportionatum ad obtinendum tale bonum supernaturale: ergo non potest formare firmam et efficacem voluntatem tendendi in